Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26260
Copyright: Admont, Benediktinerstift

dicunt esse uirgulti spinosi in q(uo) crescunt more. Unde
ieronimus in ep(isto)la ad paulinu(m) scripsit. p(ro)pham amos ru
bo(rum) mora constringere. Et hic q(ue)stio nascit(ur). cur d(omi)n(u)s in
rubo n(on) etiam in q(ua)libet eminentiori loco u(e)l arbore appa
rere uoluerit. S(ed) ita soluit(ur). Sciebat q(ui)d(e)m eos p(ro)nos ad idola
colenda. et ideo in eo apparuit unde nichil tale fabri
cari potuissent. ne si in aliis maiorib(us) materiis apparu
isset. relicto ei(us) cultu illas in idola (con)fectas uenerari in
ciperent. et has sibi liberationis exordiu(m) p(rae)stitisse faterent(ur).
Allegorice aut(em) rub(us) ardens q(ui) n(on) (con)burebat(ur) signif(icat) q(uod) lex
in iudeis peccata consume(re) n(on) potuit. Alit(er) demonstrat
q(uod) hanc eccl(esi)am feruor p(er)secutionu(m) penit(us) delere n(on) potuit.
Cernens aut(em) d(omi)n(u)s et r(e)l(iqua). Sciendu(m) aut(em) q(uod) hec sic et relique
uisiones q(ue) p(ro)phetis ostense sunt p(er) angelicu(m) ministeriu(m)
euener(un)t. illis in p(er)sona d(e)i loq(ue)ntib(us) scilicet. q(ui)a in illis erat
d(eu)s sic in plerisq(ue) s(an)c(t)o(rum) uaticinia p(ro)dunt. Na(m) q(uo)m(odo) d(omi)n(u)m
possunt uid(er)e cu(m) ipse moysi dixerit. n(on) enim uidebit me
homo et uiue(re) pot(er)it. Porro q(uod) dic(itur). solue calciamentu(m)
de pedib(us) tuis et r(e)l(iqua). ut cu(m) sponsum n(on) e(ss)e ostenderet qui
discalciat(us) nuncupari potuisset. dictu(m) e(st). Moralit(er) docet
ne intra s(an)c(t)e eccl(esi)e. carnalib(us) inuoluamur opib(us). S(ed) ut ap(osto)l(u)s
ait. sine offensione sim(us) grecis et latinis et eccl(esi)e s(an)c(t)e.
Abscondit moyses facie(m) sua(m). humilians se ad exemplu(m)
illi(us) publicani q(ui) nolebat nec oculos ad celu(m) leuare.

[Margin: In eu(an)g(e)l(i)o d(icitu)r nemo [illegible] umq(uam) [illegible] homin(um) nec [illegible]dere pot(est).]